amoeno et umbroso. Cum autem nox adesset, stravimus nobis in loco, prout unusquisque voluit. Porro ego cum socio accepimus lectulos nostros et descendimus ad fontem beatae Virginis Mariae, qui erat pulcherrimo umbraculo de arundinibus complexis circumdatus, et supra sacri fontis marginem nobis stravimus et dulciter ac secure quievimus. Erat enim curia bene clausa et firmata. Et ita noctem illam cum suo die deduximus.

Septima die mane dictis horis canonicis ereximus altare super limbum fontis beatae Virginis et ibi missas celebravimus et indulgentias in loco accepimus (†) et post cibum et potum sumsimus usque ad adventum Trutschelmanni, nec hortum balsami intrare permissi sumus ante praedicti viri reditum. Ista tamen inclusione non obstante libentissime in loco illo fuimus, quia locus sanctus erat, ut patebit, a Domino Jesu, a Maria Virgine, a Josepho ibi degentibus sanctificatus, ut patebit in descriptione fontis. Est etiam locus famosus et celeberrimus, quia in orbe notus (est) propter balsamum ibi crescens et non alibi, ut patebit in descriptione balsami. Est insuper amoenus et sanus sicut paradisus et propter fontem et propter hortum et delectabilem respectum per longum et latum terrae Aegypti, ut videbitur in descriptione domus et loci.

Circa meridiem igitur venit Tangwardinus Trutschelmannus et socius noster Conradus lutanista et fidulista cum eo et alii servi Mamaluci et camelarii cum decem camelis, ut tollerent nos et res nostras et ducerent in Cahirum. Rogavimus autem Tangwardinum, ut induci nos faceret in hortum balsami ad videndum illam pretiosissimam plantulam et celeberrimum virgultum; qui rem difficultavit et colloquium prius se habiturum cum hortulanis habere velle respondit. Accessit itaque ad hortulanos et finito colloquio revenit, postulans pro ingressu sex ducatos ab omnibus simul, demtis curtosiis ostiariorum horti. Conjecimus ergo simul pecunias et collectis sex ducatis solvimus ei. Soluta pecunia venerunt hortulani et ostiarii cum uxoribus et ostium, quod de nostra habitatione in hortum ducit, patefecerunt, per quod praecedentem Tangwardinum secuti sumus et in deliciosum hortum latum et magnum venimus, qui erat diversis generibus arborum consitus.

In hoc horto venimus ad ficum quandam ingentem, antiquissimam, altam et latam, cujus ligna in aquam missa statim mer-

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;